

de lilla iuxta viam publicam et quas vineas et vinealia cum dicto palmento pila curti turri asserebam ad me predictum Riccardum tamquam heredem proximiorum et legitimum successorem quondam dompne Churacie pertinere et iure spectare debere et pertinere ratione ipsius hereditatis et dicta Margarita allegabat et asserebat vineas et vinealia ipsa cum dictis palmento pila curti et turri ad se pertinere iure legati sibi facti per predictam churaciam in sua ultima dispositione seu codicillo. Tandem dicta Margarita tanquam in iure potior obtinuit in lite seu controversia supradicta et lata fuit inde sententia pro eadem. post quam controversiam et sententiam dicta Margarita assumpto Religioso habitu monialium earundem, se et sua et specialiter dictas vineas et vinealia cum eisdem palmento pila curti et turri obtulit in manibus Religiose mulieris domine helisabet venerabilis abbatisse dicti Monasterii. Ingrediendo Monasterium memoratum, ex cuius oblatione et ingressu dictum Monasterium tenet et possidet iusto titulo et bona fide dictas vineas et vinealia *etc.* et pro maiori et habundantiori Cautela Monasterii predicti. Nos predicti Riccardus et Lionora mulier cum auctoritate predicta in predictorum iudicis notarii et testium presencia. Tibi predicto dompno Bartholomeo sindico actori seu yconomo eiusdem Monasterii recipienti vice et nomine et pro parte Monasterii memorati. voluntarie cum tota debita et consueta iuris observancia Guadium dedimus vobis inde fidem positam ut nullo unquam futuro tempore, nos vel nostri heredes appellemus vel inquietemus dictum Monasterium abbatissam et Moniales dicti Monasterii *etc.* ratione successionis eiusdem vel quavis alia causa ius ipsum donamus tradidimus vel quasi titulo irrevocabilis donationis inter vivos Monasterio supradicto remissionem peccatorum nostrorum. Ex qua donacione nihil aliud petimus a Monasterio abbatissa et Monialibus supradictis preter oracionem ad deum pro anima nostra et parentum no-